

» tantes singulis rebus vim quamdam invisibilem ac
 » supremam præsidere, ideoque supremo culta esse
 » colendam, sine ulla relatione ad unum supremum
 » creatorem ac gubernatorem omnium, nec discurrebant
 » quomodo id fieri posset, aut quomodo sine uno supre-
 » mo Numine ac progenitore mundus posset subsistere.»
 Idem error adhuc reperitur apud gentiles nunc existen-
 tes; doctores supremum quidem agnoscunt Numen, sed
 vulgus credit plures reipsa esse deos divino cultu hono-
 randos.

8° Docet iterum *Suarez*, *ibid.*, cap. 6, vix dari posse
 ignorantiam omnino invincibilem circa pluralitatem deo-
 rum, nisi « in aliquo gentili qui et nullam rectam in-
 » structionem habet, neque per se philosophari valet,
 » ut multi nunc inveniuntur in Æthiopia, Brasilia, et
 » aliis similibus regionibus. »

Punctum secundum. — De divinatione.

1° Divinatio, juxta vim nominis, idem est ac divina
 actio, juxta quosdam, vel divina notio, juxta alios, quia
 est quædam participatio cognitionis rerum occultarum
 quæ divinitatis est propria, ideoque non est per se mala.
 Sed quoniam hæc notio apud gentiles a dæmone repete-
 batur, usu Scripturæ et Ecclesiæ divinatio fere semper
 in malam partem accipitur, et definiri solet: *Indebita
 notio rerum occultarum inquisitio vel enuntiatio, dæmo-
 nis adjutorio petita aut facta.*

2° Triplex est modus occulta cognoscendi et prænun-
 tiandi, scilicet divinus, humanus et diabolicus. Diaboli
 existentia, sagacitas et potentia, facultates hominum
 longe superantes, in dubium revocari non possunt:
 constat igitur illum multa scire et manifestare posse
 quæ nos latent. Unde qui cognitionem secretorum vel
 futurorum aliter quærit quam per revelationem divinam
 aut media naturalia et humana, eam necessario repetit
 a dæmone, cum non sit alia cognoscendi via.

3° Duplici modo hæc exquisitio fieri potest, scilicet:
 1° per pactum cum dæmone expressum, illum invo-

cando, aliquid ei offerendo, vel adhibendo aut quærendo
 media evidenter diabolica, v. g., consulendo pythones,
 evocando mortuos, petendo præstigia, personarum appa-
 rentias, aliave signa in aere, aqua, igne, speculis; et
 2° per pactum implicitum, adhibendo quidem media
 naturalia, sed ad cognitionem inquisitam omnino im-
 proportionata et in quibus dæmon se immiscere solet,
 v. g., si quis intendat cognoscere futura ex inspectione
 lineamentorum corporis, ex garritu aut volatu avium, etc.

4° Apud omnes constat divinationem quæ fit per ex-
 pressum cum dæmone pactum, a mortali excusari non
 posse, ne quidem per ignorantiam, quia gravissima Deo
 inferitur injuria, et nullus est qui usum rationis ha-
 bens, et verum Deum cognoscens, advertere non possit
 pactum cum ipsius hoste initum illum graviter offensu-
 rum.

5° Certum est alteram divinationem, per pactum im-
 plicitum, in se malam esse et stricte prohibitam: nam
 1° Deus, *Deut. xviii, 10*, omne genus divinationis pro-
 hibet dicens: *Nec inveniatur in te... qui ariolos scisci-
 tetur, et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus,
 nec incantator, nec qui pythones consulat nec divinos, aut
 quærat a mortuis veritatem.* 2° Celebris existit bulla
Sixti V, diei 5 januarii 1586, per verba *Cæli et terræ
 Creator* incipiens, in qua variae superstitionum ac præser-
 tim divinationis species enumerantur et expresse dam-
 nantur. 3° Ita sentiunt omnes theologi, conveniuntque
 hujusmodi divinationem esse de genere suo peccatum
 mortale, et tamen fieri posse veniale propter ignoran-
 tiam, simplicitatem, aut, juxta plures, inter quos *Lay-
 man, Sanchez, Lessius, Suarez*, etc., si fides tali supersti-
 tioni non adhibeatur, sed timor tantum vel suspicio de
 eventu prænuntiato concipiatur, aut si ex joco ars illa
 exerceatur et grave non adsit scandalum.

6° Deus sibi reservavit secreta cordium et futura ex
 libera hominum voluntate pendentia, ut ostendit *Six-
 tus V* in sua citata bulla: unde infert 1° dæmones ea
 certo cognoscere non posse, sed tantum conjecturaliter,

modo tamen intelligentiam humanam longe superante; 2^o artem divinatoriam, inquantum ad secreta cordium et futuros eventus a causis necessariis non pendentes respicit, vanam esse, fallacem, improborum hominum astutia et dæmonum fraudibus introductam, « ex quo-
 » rum operatione, consilio vel auxilio omnis divinatio
 » manat, sive quod expresse ad futura manifestanda
 » invocentur, sive quod ipsi pravitate sua et odio in genus
 » humanum occulte, etiam præter hominis intentionem,
 » se ingerant et intendant vanis inquisitionibus futuro-
 » rum, et mentes hominum perniciosis vanitatibus et
 » fallaci contingentium prænuntiatione implicentur, et
 » omni impietatis genere depraventur. » Urbanus VIII altera Const. diei 31 martii 1631 dispositiones Const. Sixti V confirmavit et auxit. Nihilominus pronuntiat Pontifex homines fallacia diaboli sic delusos et curiosa sectantes, Deum graviter offendere, a via salutis averti et in laqueo damnationis involvi. Ratio est, quia peccatum non consistit in successu artis, sed in usu ipsius artis diabolicæ.

7^o Præcipuæ divinationis species sunt: 1^o *præstigia*, quando nempe dæmon, sub quibusdam imaginibus vel corporibus aliunde asportatis aut ex aere compactis, se oculis vel sensibus hominum ingerit ad occulta prænuntianda; 2^o *necromantia*, quæ est divinatio per mortuorum evocationes veras aut fictas, adhibitis verbis aut signis quibus mortui videntur resurgere, loqui et docere occulta; 3^o *geomantia*, quæ est divinatio facta per quædam signa vel puncta in corporibus terrenis, v. g., lapide, ligno, charta, etc., exarata; 4^o *hydromantia*, per signa in aqua; 5^o *aeromantia*, per signa in aere; 6^o *pyromantia*, per signa in igne; 7^o *aruspicium*, per signa in animalium dæmonibus immolatorum visceribus; 8^o *oniromantia*, si fiat per somnia; 9^o *oraeculum*, si fiat per idolum; 10^o *pythonia*, si fiat per homines arreptitios, sic dicta a sacerdotissa Apollinis quæ in tripode posita et pelle serpentis Pythonis cooperta, vaticinabatur. Omnes illæ divinationis species fieri dicuntur ex pacto cum dæmone expresso,

quia dæmon invocatur, aut signa, quæ non nisi ab eo produci possunt, quæruntur.

8^o Sequentes fieri reputantur ex pacto implicito, quia signis vel factis in se naturalibus nituntur, et deordinatio est in conclusionibus quæ ex illis superstitiose deducuntur: 11^o *chiromantia*, est divinatio ex lineis manus facta; 12^o *spatulomantia*, si ex spatulis animalium fiat; 13^o *metoposcopia*, si fiat per signa frontis; 14^o *augurium*, si ex hominis, animalium et avium vocibus, cantu, garritu, sternutatione et aliis hujusmodi occulta divinentur; 15^o *auspicium*, si divinatio fiat ex volatu avium; 16^o *omen*, si ex vocibus hominum præter intentionem prolatis, 17^o *astrologia judiciaria*, si ex situ vel motu siderum futura a libera hominum voluntate pendentia prædicantur; et 18^o *sortilegium*, si per sortes divinatorias occulta vel futura exquirantur.

Hæc distinctio divinationis specierum apud S. Thomam et, post ipsum, apud alios theologos, cum quibusdam discriminibus habetur.

Qui vanis præcedentibus rebus ad finem intentum naturaliter improportionatis utendo, protestatur se omni pacto cum dæmone abrenuntiare, non ideo excusatur a peccato, quia contra protestationem suam agit, et cum nec Deus nec Angeli boni talibus rebus se immisceant, dæmon implicite invocatur, inquiunt *Layman, Suarez, Bonacina, Busenbaum, S. Ligorius*, etc. Nec excusatur is qui talia media credit utilia propter experientias, quia has dæmon procurat ut homines paulatim illaqueat et ad similia usurpanda inducat: sic, cum pluribus aliis, *Busenbaum* apud *S. Ligorium* qui eum approbat:

9^o *Notandum*, ex Codice pœnali, art. 479, n. 7 et art. 790, n. 1, eos qui ex professo divinantur, futura prænuntiant, somnia explicant, ad mulctam pecuniariam a 11 ad 15 f. et ad incarcerationem pro quinque diebus damnari posse.

Quædam specialiter nobis dicenda sunt de astrologia, somniis, sortilegio, virga bifurcata, magnetismo et mortuorum reditibus, gallice *revenants*.

De astrologia.

1° Astrologia, seu astrorum scientia, duplex est, una naturalis et altera quæ dicitur judiciara.

2° Astrologia naturalis, quæ alio nomine vocatur astronomia, ea est quæ ex astrorum, maxime planetarum, ortu et occasu, conjunctione, oppositione varioque aspectu, tum inter se, tum relative ad stellas fixas, de futuris eventibus naturaliter contingentibus pronuntiat: sic certo prædicit eclipses, et conjecturaliter pluvias, siccitates, frigora, calores, grandines, ventos, morbos animalium, pestes, salubritates. A veteribus recensita est inter septem artes liberales, quæ sunt *grammatica, dialectica, rhetorica, musica, geometria, arithmetica et astrológia*.

Nulla lege prohibetur; imo nobilis est scientia, vera discere volente dignissima: excepta tamen ea parte quæ ex ortu, occasu, calore vel aspectu solis ac lunæ sumitur, valde est incerta in iis quæ conjecturat circa mutationem temporum, pluvias, siccitates, grandines, ventos, etc. Unde patet quam vanæ sint prædictiones, quæ quotannis vulgantur per ephemerides, gallice *almanachs* (a verbis arabibus *al*, articulus, et *manach*, supputare). Hujusmodi tamen prædictiones a nemine reputantur superstitiones, sed ad summum temeritates, mendacia, vel, ut plurimum, quædam mentis joca.

Multo magis incerta et obscura est si, ex influxu constellationum in nativitate hominis, naturales illius inclinationes, temperamentum, complexionem, sanitatem, indolem, actiones ordinarias cognoscere et annuntiare præsumat. Attamen si hoc iudicium ulterius non procedat, nondum est supersticiosum, sed vanum, frivolum et nulla fide dignum, ut pote non fundatum; quotidie enim duo infantes sub eadem constellatione nati, vel duo gemini valde diversos habent mores, ut visum est in Esau et Jacob. Si enuntietur ut certum, est peccatum veniale; si conjecturaliter, nullum est peccatum. Ita *Ferraris, S. Ligorius* et alii plures.

3° Astrologia judiciaria ea est quæ ex situ, aspectu, motu ac positione siderum judicat de eventibus a libera hominum voluntate dependentibus, aut saltem qui in causis necessariis non continentur, v. g., de conditione vitæ, de matrimoniis, liberis, honoribus, divitiis, infortuniis, præliis, exsilio, carcere, genere mortis, etc., vel etiam de præteritis aut præsentibus occultis, v. g., quis sit hujus pater, quis furtum aut homicidium fecerit, etc. Qui hujusmodi astrologiam exercent, sæpe in jure et in historia ecclesiastica vocantur mathematici.

4° Certum est usum talis astrologiæ esse illicitum; ita omnes, et probant 1° ex Scriptura sacra. Jerem. x, 2: *Juxta vias gentium nolite discere, et a signis cæli nolite metuere quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt*; 2° ex multis juris canonici canonibus; 3° ex Constitutionibus Sixti V et Urbani VIII supra citatis, in quibus prædictio judiciaria etiam conjecturalis stricte prohibetur; 4° ex pluribus antiqui juris civilis capitibus. Ergo *Concina, Ferraris*, et alii non dubitant affirmare hoc peccatum esse mortale.

5° Non magis autem astrologos aut divinos consulere licet, v. g., ad inveniendam rem amissam, ad cognoscendum furem aut maleficum, ad detegendum secretum, quam officium divinandi exercere. Ea tamen est differentia quod simplices ad divinos recurrentes ratione bonæ fidei a peccato saltem mortali quandoque excusari possint, non vero qui artem divinandi exercent.

6° A pluribus sæculis existunt in Europa viri et mulieres circumvagi vulgo dicti in Gallia *Bohémiens*, in Anglia *Egyptiens*, in Suecia et Dania *Tartares*, in Hispania *Gitanos*, in Italia *Zingani*, qui se jactant divinare bonam vel malam uniuscujusque fortunam, et quotidie a plebeiis consuluntur. Circa originem eorum non consentiunt auctores: *Stephanus Pasquier, Recherches sur la France*, l. 4, cap. 19, dicit quod die 17 aprilis 1427 venerint Parisios 12 viri, dicentes se numero 4200 ex Egypto a Sarracenis fuisse expulsos, papam adisse sua confitentis peccata, accepisse pro penitentia ut per septem annos

semper vagarentur, et 120 tantum remanere, tam mulieres et infantes quam viros, et mulieres eorum fuisse deformes et sagas.

Certum est eos qui talem exercent artem communis mortaliter peccare; qui vero eos vel eas adeunt *pour se faire dire la bonne aventure*, si habeant fidem aut grave præbeant scandalum, graviter etiam peccant: si vero ob solam curiositatem vel ridendi causa id faciant, ut fieri solet, peccant tantum venialiter, secluso gravi scandalo, et supposito quod ipsi bohemi serio non agant; nam tunc cooperatio fieret cum ipsis mortaliter peccantibus. Vide Sanchez, Busenbaum, Ferraris, S. Ligorium et alios.

7^o Libri de astrologia judiciaria et aliis divinationis speciebus tractantes, strictè proscripti sunt per bullam Sixti V.

De somniis.

1^o Somnium est apparitio phantastica inter somnandum in imaginatione facta.

2^o Triplicis generis distinguuntur somnia, scilicet divina, diabolica et naturalia. Divina ea sunt quæ a Deo excitantur, sive id faciat per se immediate, sive ministerio Angelorum utatur; somnia diabolica ea sunt quæ diabolus in phantasiam vel in causas naturales agendo excitat; et somnia naturalia ea sunt quæ nascuntur ex naturalibus causis, nempe vel ex vivida præcedenti mentis affectione, vel ex certa corporis dispositione, qua fit, v. g., ut qui frigidis humoribus abundat, cogitet somnando se esse in aqua vel in nive; qui atra bile est repletus, sibi repræsentet tristitia; vel ex ambiente aere aut corporis cælestis impressione, v. g., si quis dormiat in loco nimis frigido vel calido, vel bene aut male olente, si luna caput ejus attingat, etc.

3^o Certum est multa exstitisse somnia a Deo per se vel per bonos Angelos excitata, ut patet exemplis Abimelech, Genes. xx, 3; Jacob, ibid. xxxi, 11; Laban, ib. y. 24; Joseph, ibid. xxxvii; Gedeonis, Judic. vii, 13; Samuelis,

I Reg. iii; Nabuchodonosor, Mardochei, Judæ Machabæi, II Machab. xv, 11; Joseph, viri Mariæ, et Magorum, Matth. i et ii, etc. Ubi constat somnia esse a Deo; eorum observatio non solum licita, sed necessaria est, quia Deus per illa nos instruit, monet, dirigit, voluntatem suam manifestat.

4^o Dari posse somnia diabolica variis in locis supponit Scriptura, quæ eorum observationem prohibet, v. g., Levit. xix, 26: *Non augurabimini, nec observabitis somnia*; Deut. xviii, 10: *Non inveniatur in te... qui observet somnia*; Eccli. xxxiv, 7: *Multos errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in eis*.

5^o Somnia naturalia observare licet in iis quæ habent connexionem cum eorum causis, v. g., medici iis uti possunt ad applicanda convenientia remedia, confessarii ad prohibendas certas lectiones, colloquutiones, frequentationes ex quibus turpia nascuntur in imaginatione etiam infer somnum. In hoc nulla est difficultas.

6^o At somnia naturalia observare non licet in iis quæ cum eorum causis nullam habere possunt connexionem, v. g., ad revelanda occulta, ad præauntianda futura libera, vel etiam necessaria, sed a causis somniorum prorsus independentia, puta, siccitatem, frigus, pluviam: talis quippe revelatio vel prædictio est vana et illusoria, vel a dæmone per pactum implicitum procederet. Graviter igitur est peccaminosa, sicut divinatio per astra, nisi simplicitate et bona fide saltem a tanto excusetur.

7^o Quando Deus immittit somnium, dat signa quibus illud a somniis diabolicis vel naturalibus certo secerni possit: in dubio vir doctus consulendus est, et, dubio perseverante, somnium haberi non debet ut divinum.

8^o A fortiori graviter peccant qui objecta sacra vel speculum nocte capiti suo supponunt ut inde nascantur somnia futuros eventus præauntiatura, ut patet.

Sed Ferraris, cum pluribus aliis, putat eum peccati mortalis culpandum non esse, 1^o qui ex mera curiositate pergit ad locum ubi thesaurus sibi exhibitus fuit in som-

nio absconditus, et terram effodit; 2^o qui dubitans an thesaurus absconditus sibi indicatus sit per mortuum apparentem aut per somnium, terram effodit ut veritatem rei detegat, fidem somniis non adhibens; 3^o qui observat somnium, non præcise ex fide rem prænuntiatam esse veram, sed ex quadam timiditate, cujus rationem reddere non potest; quia in his casibus vel nulla, vel saltem imperfecta est superstitio.

Sollicite tamen arcendi sunt fideles a qualibet somniorum non certo divinorum observatione.

De sortilegio.

1^o Nomine sortilegii vulgo intelliguntur omnes diabolicæ operationes, sed specialibus hic intelligimus eam divinationis speciem quæ fit per sortes. Triplicis autem generis distinguuntur sortes, nempe divisoriæ, consultoriæ et divinatoriæ, quæ apud P. *Le Brun*, t. 1, p. 262, dicuntur naturales, divinæ et superstitiosæ.

2^o Sortes divisoriæ, seu naturales, sunt illæ per quas, ex consensu partium, decernitur cui res aliqua tribuenda sit. Dummodo nihil superstitionis aut injustitiæ contineant, procul dubio licitæ sunt extra casum electionis ecclesiasticæ; has enim sortes Deus pluribus in locis approbavit, et ipse adhibendas indicavit, v. g., Num. xxvi, 53, et xxxiii, 54, et in multis aliis. Quotidie videmus eas adhiberi a politicis, juristis, magistratibus, canonistis et theologis, ad terminandas lites, dividendas hæreditates, decernenda munera, etc., et nullus suspicatur aliquid mali in eis esse.

Diximus autem, *extra casum electionis ecclesiasticæ*, quia hoc expresse prohibitum est in Decretal. l. 5, t. xxi, c. 3, ubi Honorius III dicit se cujusdam electionem admittere, addens, propter circumstantias hujus electionis in eo loco relatas, se damnare *sortis usum in electionibus perpetua prohibitione*: idem aliis auctoritatibus et rationibus adstruitur.

Nec valet contra exemplum S. Mathiæ per sortem

electi, quia hoc per singulare Dei privilegium factum est, et aliunde prohibitio juris positivi ad præcavendas fraudes et astutias legitime facta nondum existerat.

3^o Sortes dicuntur consultoriæ vel divinæ, quando ope illarum quæritur a Deo quid sit agendum vel cavendum. Aliquando, licet raro, licitæ esse possunt, videlicet, si fiant ex causa urgente et cum debita reverentia erga Deum, pro cognoscenda re necessaria quæ humano modo cognosci non potest: nam ut legitur in Prov. xvi, 33: *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur*. Cum existit ratio sic agendi, Deus imprudenter non tentatur, et de facto sic plures Sancti egerunt.

Si vero consilium Dei sic absque gravi causa exquiretur per sortes, dum viis humanis cognosci potest, aut si reverentia Deo debita non servaretur, tunc illæ sortes essent graviter vel leviter illicitæ, secundum circumstantias, propter tentationem Dei et irreverentiam erga ipsum. *Ita omnes.*

Hinc illicita et merito damnata fuit in concilio Veneto, anno 462, et in aliis pluribus, sors sanctorum, de qua tam frequenter fit mentio in Historia ecclesiastica, in eo consistens ut ad apertionem alicujus libri sancti vel auditionem lectionis sacræ, ex prima sententia occurrente cognoscatur occultum vel sciatur quid agendum sit; talis enim sors est saltem vana, cum nullo innitatur fundamento, et in Const. Apost. l. 4, cap. 7, dicitur prohibita tanquam ad idololatriam deducens.

Non minus fortiter reprobandæ sunt sortes ex apertione librorum Homeri vel Virgilii exercitatæ, et ideo Homericæ vel Virgilianæ vocatæ.

4^o Sortes divinatoriæ vel superstitiosæ in eo sitæ sunt ut quis, illarum ope, occulta vel futura humanam cognoscendi facultatem superantia cognoscere intendat, v. g., ex jactu taxillorum, ex numeris per rotam educendis, ex apertione libri. Sortes hujusmodi per se graviter sunt illicitæ, ut pote tacitam vel expressam dæmonis invocationem continentes, siquidem nec ex natura rei, nec ex constitutione Dei vel Ecclesiæ, ad hæc

manifestanda sunt idoneæ. Ideo damnantur in Scriptura sacra et in pluribus juris canonici capitibus. Ad hoc genus reducitur cribri versio qua nonnulli tentant divinare fures, homicidas, sagas et alia similia; item et *cabala*, apud Judæos usitata, de qua aliquid diximus in Tractatu de Fide, t. II.

De virga divinatoria.

Hæc virga, cujus nulla fit mentio, inquit auctores Dictionarii de Trévoux, ante decimum quintum sæculum, debet esse ex corylo et bifurcata. Quidam tamen dicunt eam esse posse ex qualibet materia et in quacumque forma. Experientia compertum est eam certo modo delatam, inclinari super aquas sub terra delitescentes, super metalla et, juxta quosdam, super agrorum limites, super vestigia fuis vel homicidæ. Multi ea utuntur ad detegendos fontes aquarum, vel thesauros absconditos.

Jacobus Aymar, dives quidam rusticus in pago Sancti-Verani, in Delphinatu, anno 1662 natus, usum virgæ divinatoriæ reddidit celebrem anno 1692, ope illius quærendo occisores cujusdam œnopolæ atrociter interfecti cum uxore sua Lugduni, die 5 julii illius anni, eos per vestigia persequendo usque Bellicadrum (*Beaucaire*), ubi unum ex ipsis inter duodecim incarceratos describit: is convictus et crimen confessus, supplicio plexus est.

Circa usum virgæ tres prodierunt opiniones: quidam, inter quos *Chaviv* et *Garnier*, doctores medici, illius motum in cunctis casibus naturalem esse et licitum demonstrare conati sunt. Alii crediderunt eum esse superstitiosum, pactum cum dæmone implicitum continere et ex omni parte reprobandum esse. Ita P. *Malebranche* et P. *Le Brun*, ea de re longe tractans in opere cui titulus: *Histoire critique des pratiques superstitieuses qui ont séduit les peuples* (4 vol. in-12). Alii non negant fontes aquarum et metalla ope virgæ naturaliter detegi posse; illius tamen usum, ut fieri solet, reprobandum esse putant, ob varias circumstantias evidenter superstitiosas: v. g., 1º requiritur intentio agentis ut virga in manibus

ejus moveatur; 2º finis intentus: unde si quærat pecunia, virga immobilis erit super aquam, aut si quærat aqua, inclinabitur super aquam, et immobilis erit super thesaurum. Porro causæ naturales ab hujusmodi circumstantiis pendere nequeunt. 3º Nulla est distinctio physica inter duos lapides in terra delitescentes et prorsus similes: quomodo ergo virga unum ab alio naturaliter secernere potest? 4º Multo difficilius est ut reos ab innocentibus naturaliter discernat. In his igitur circumstantiis, aut effectus attributi virgæ sunt impostura vel illusiones, aut a dæmone procedunt, ideo usus ejus tunc omnino reprobandus est.

At propriis oculis vidimus motum virgæ ad invenendas aquas adhibitæ. Personæ ea utentes nullo modo nobis erant suspectæ. Eadem virga in manibus unius personæ movebatur in uno loco, et non in manibus alterius personæ in eodem loco, licet idem intenderet. Persuasum habemus hujusmodi motum a causis naturalibus et a dispositionibus physicis pendere. Ideo applicationem virgæ ad detegendum aquas vel metalla damnare nolumus; nullatenus vero eam permetteremus ad detegendos reos, siquidem modus est omnino impropportionatus.

De magnetismo animali.

Antonius Mesmer, medicus Germanus, anno 1734 natus, novos curandi modos quærens, arbitratus est et probare voluit se remedium mirabile inauditamque operationis speciem invenisse in influxu planetarum, deinde in fluxu magnetis, postea tandem in quodam fluxu subtilissimo e cunctis corporibus animalium procedente, fluxui magnetis simili, quem ideo vocavit *magnetismum animale*. Multas fecit experientias Viennæ in Austria, et Parisiis quo venit anno 1778: plerique docti, quorum suffragium variis tentamentis exquisivit, eum suggillaverunt et artem ejus contempserunt; quosdam tamen pro se habuit: in doctrina sua perseveravit Parisiis et Londini; tandem in sua patria reversus, obiit fere ignotus anno 1815.

Plures artem ejus exercere perrexerant, et non pauci etiam nunc, sive medici, sive alii, Parisiis et alibi eam exercent, contententes se, ope fluxus magnetismi animalis, personas consentientes, præsertim mulieres, ad statum somnambulismi, quædam sensibilia faciendo signa, reducere, easque usu sensuum orbatas, multa videre, audire, intelligere et loqui, etiam a magnis distantibus, maxime circa proprias aliorumve infirmitates et remedia eis applicanda, quæ aliunde prorsus ignorant et in statu naturali restitutæ non recordantur. Multa hujus generis narrantur facta, a pluribus habita ut vera et authentica, ab aliis rejecta ut fictitia: acriter inter se ea de re disputant medici periti ac critici, et quamvis plerique facta allegata inter fabulas rejiciant, sunt tamen non contemnendi qui ea admittunt ut vera. Legi possunt *Biographie univ. art. Mesmer*; *Nouveau Dict. de méd. 22 vol. art. Magnét. par Rostan*; *Gazette de médecine et Revue médicale de 1832 et 1833*, et multa alia opera ab eo tempore usque ad hodiernam diem de magnetismo animali edita.

Quidquid sit, damnare non audemus eos qui, arbitrantes effectus magnetismi esse naturales, ea utuntur arte, servatis modestiæ ac castitatis legibus et recta intentione, secluso scandalo: contingeret autem scandalum si clericus, v. g., talem exerceret professionem, aut si patenderentur effectus omnino disproportionati, qui cum naturalibus causis nullam evidentem habere possent connexionem; nam tunc aut forent inanes, aut a diabolo per implicitum pactum procederent.

Per decretum diei 21 aprilis 1841, Gregorius XVI pronuntiavit, approbando responsionem S. Cong. sancti Officii, *Usum magnetismi, prout exponitur, non licere*; quod S. Pœnitentiaria iisdem verbis confirmavit in responso ad episcopum Friburgensem, 4^a die julii ejusdem anni.

Expositum autem fuerat operationes magnetismi favore incredulitati et morum corruptelæ.

Anno sequenti, DD. *Gousset*, archiep. Rem., quæsiit

an magnetismus in se spectatus, *sepositis rei abusibus rejectoque omni cum dæmone fœdere*, esset licitus. Sancta Sedes huc usque tacuit; sed card. *Castracane* respondit, die 2^a septembris 1843, quæstionem non cito definiendam esse, si unquam definiatur.

De mortuorum apparitionibus, gallicæ revenants.

Certum est Deum, Angelos sive bonos, sive malos, et animas defunctorum, beatorum aut miserorum, sub diversis formis apparere posse. Sic 1^o Deus apparuit Adamo post ejus peccatum; Abraham, illi jubens ut filium suum immolaret; Moysi in rubo ardenti, Eliæ in monte Horeb, etc.; 2^o boni Angeli apparuerunt in multis locis, v. g., Abraham et Loth ante Sodomæ subversionem, Tobiæ, B. Mariæ Virgini, etc.; 3^o dæmones sub diversis formis, ut in Paradiso terrestri sub forma serpentis; 4^o animæ defunctorum, ut Jeremias et Onias Judæ Machabæo et exercitui ejus, Moyses in monte Thabor; 5^o ipsi viventes in locis remotis et simul in pluribus locis apparere possunt: v. g., pincerna Pharaonis hinc principem vidit in somnio, S. Paulus vidit Ananiam, Elias apparuit in monte Thabor, S. Franciscus Xaverius in pluribus locis simul visus est; S. Philipus Nereus, Romæ sistens, apparuit sanctæ Catharinæ de Ricci in Toscana, etc.

Non magis repugnat animas defunctorum, sive beatas, sive miseras, sub variis apparere formis, strepitum facere, gemere, loqui, aliquid postulare vel indicare. Possibiles sunt igitur réditus mortuorum, gallicæ *revenants*; plures exstiterunt, et ideo fides hujusmodi apparitionibus non est absolute irridenda aut contemnenda: sed innumeræ hac de re propalatae sunt historiæ omnino fabulosæ, imaginationis perterritæ fetus, vel decipiendi causa excogitatae. Itaque apparitionibus hujusmodi caute admodum adhibenda est fides. Qui tamen facilius eis crederet, nihil mali faceret, et contra prudentiam tantum ageret.

Hic esset locus dicendi de mortuis qui e sepulcris corporaliter nocte exeunt, et sanguinem vivorum sugunt et

ebibunt, atque vulgo dicuntur *vampires*, de quibus fuse D. Calmet in opere inscripto : *Traité sur les apparitions des esprits et sur les vampires ou revenants*, 2 vol. in-12. Sed quamvis ille auctor multa congerat facta et argumenta, communiter in hoc habetur ut nimis credulus.

Nota. Docent communiter theologi, juxta *Concina*, t. xiv, p. 27, abstinendum esse pacto quo duo conveniant ut qui prior obierit appareat viventi et statum salutis suæ ei manifestet, quia periculum est ne dæmon hoc cognoscens pactum, eo ad decipiendum viventem abutatur.

Punctum tertium. — *De vana observantia.*

1^o *Vana observantia* ea est superstitionis species qua ad effectum obtinendum vel impediendum adhibentur media impropportionata, nec a natura, nec a Deo, nec ab Ecclesia ad id ordinata. In eo differt a divinatione, quod divinatio per se ad cognitionem occulti vel futuri ordinetur, et vana observantia ad aliquid obtinendum vel omittendum.

Præcipuæ ejus species sunt ars notaria, observantia sanitatum et observantia eventuum ad quas cæteræ facile reducuntur.

2^o *Ars notaria* ea est qua quis per verborum ignotorum prolationem, aliqua signa, jejunia, aliave similia omnino impropportionata, infusionem alicujus scientiæ sine ullo studio vult obtinere, sicque vel Deum tentat, miraculum modo inconvenienti postulans, vel dæmonem saltem implicite invocat; at in utroque casu graviter peccat. Hac arte uti dicuntur Anabaptistæ, qui, quodam in cœna sua sumpto poculo, statim incipiunt legere, recitare, interpretari Scripturas antea sibi ignotas, dæmone verba ipsis suggerente, vel per os eorum loquente. Unde quandoque evenit ut catholici per exorcismos scientiam eorum adimant. *Ferraris*, v^o *Superstit.*, num. 48.

3^o *Observantia sanitatum* in eo consistit ut vana et inutilia adhibeantur media ad sanitatem hominum vel animalium conservandam aut recuperandam : unde effec-

tus sperari non potest a natura, nec a Deo, qui miraculum non promisit : ergo explicite vel implicite speratur a diabolo, et idcirco hæc superstitio est peccatum ex genere suo mortale, quod tamen fieri potest veniale ex ignorantia et simplicitate, aut si fides non adhibeatur his rebus, quamvis aliquis existat timor.

Hinc superstitionis rei sunt qui gestant amuleta, ligaturas, involucra falsis characteribus consignata, quædam invocant nomina ignota, certum numerum crucium, orationum aliave hujusmodi inutilia adhibent ad sanandas infirmitates, ad curanda vulnera, ad mitigandos dolores, ad sistendum sanguinem, ad obtinendum felicem partum, ad se vel alios reddendos invulnerabiles : qui eo fine super se habent sacras reliquias, cruces benedictas, agnos Dei, certas preces, Evangelium S. Joannis, aliave pia objecta, effectum ex illis infallibiliter expectantes ; qui certo festo certas adhibent preces, certas postulant Missas, cum numero determinato orationum, cereorum ; qui volunt septem aut novem pueros orare pro puero ægro tante, novem puellas pro puella ; qui ad sananda quædam vulnera requirunt herbas tali die collectas, a tali persona præparatas, etc., æstimantes has speciales circumstantias esse necessarias et efficaces.

Non vero est superstitiosum verba Scripturæ sacræ vel reliquias in honorem Dei vel Sanctorum gestare, jumentum circa templum alicujus Sancti circumducere, in festo ejus venam equi secare ex devotionis causa et ad suffragia Sancti obtinenda. Ita, cum multis aliis, *Busenbaum*, qui addit homines rudes bona fide ritum ab Ecclesia non receptum observantes, aliquando relinquendos in sua simplicitate dum difficulter ab eo averterentur ; nec damnandos, sed potius laudandos qui certas sequuntur devotiones, quas vocant novendiales, gallice *des newaines*, in honorem novem mensium quibus Christus fuit in utero matris suæ, vel piorum usu et praxi inter fideles assueta et a pastoribus approbata nixi ; qui triginta postulant Missas, ad exemplum S. Gregorii ; qui quinquies